



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Archicancellariis Sacri Romani Imperii Ac Cancellariis Imperialis Avlae

Mallinckrodt, Bernhard von  
Monasteri[i] Westphaliae, 1640

Rvpertvs Imp.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11835**

Fridenberg; qui cum Guilielmo quodam, sub Wenceslao Bohemiæ Rege, circa an. 1242, de Episcopatu Olomucensi contendit. Videtur autem familia ista Bohemici generis esse, licet Germanicam è nomine originem, quales in illo terrarum tractu plurimæ, coniectare possimus.

Conradus de Gisenheim, Secretarius Caroli IV, per cessionē Nicolai de Minâ, Prioris & Lectoris in Conuentu Lipsiensi, factus fuit decimus sextus Lubecensis Episcopus, eique Ecclesiæ annis 8 præfuit, vt scribit Crantzius *lib. 10 Metrop. cap. 12.*

Conradus  
Episcopus  
Lubecensis.

## WENCESLAUS Imp,

**N**illâ suâ virtute aut meritis, sed paternis præfationibus & corruptelis euectus ad impar humeris suis Imperialis curæ pondus Wenceslaus, ita gessit malè creditam sibi dignitatem, vt communi Electorum Principum decreto, Imperio tandem priuatus, insuperque, vt scribit Myling. 2 *Decad. conf. 19, num. 6.* omnia eius rescripta & Priuilegia antiquata fuerint. Mirum igitur non est, paucissima eius Diplomata\* superesse. Extat tamè *tom. 2 Metrop. Salisb.* commissio eius, ad infeudandum Præpositum Berchtolsgadensem Conradum, dat. an. 1386, quæ ita subscripta est: **Per d. Ducem Teschimens.** Per Ianuren. Hæc ita capio, quòd Dux Teschinensis (ita enim correctio facièda,) vt Cancellarius; Ianurensis autem, in qualitate Protonotarij siue Secretarij subscripserit. Crediderim autem Teschinensem illum Ducem non esse alium quàm Primislaum, eius nominis primum, qui obiit anno 1393. scribit enim Schickfusius *lib. 2, c. 35 Chronici Silesiæ*, præstitisse se illum Regi regnoque Bohemiæ fidum, eoque nomine Falckenbergo donatum esse. Nec refert ille Auctor in recensione Teschinensium Ducum familiæ aliquem alium, cui Cancellariatus ille magis quàm prædicto conueniat. Extremis Imperij annis Cancellariatum sub Wenceslao gessit Antiochenus Patriarcha: Otho enim de Hoia, Episcopus Monasteriensis, ab illo an. 1400, eo ipso quo Electorali decreto priuatus est Imperio, priuilegiorum confirmationem, & Regalium, vt vocamus, infeudationem obtinuit Pragæ XI Maij; quæ ita subscripta: **Per D. VV. Patriarch. Anth. Cancell.** Nicolaus de Gekoltz. *Vide de hoc Patriarchâ Notas.*

\*Extant  
verò illorū  
diuersa a-  
pud Lim-  
naum & a-  
lios.

Primislaus  
Dux Te-  
schinensis.

VVences-  
laus Krj-  
lick Patr.  
Antioch.  
& Episc.  
Olomucens.

## RVPERTVS Imp.

**F**Riderici Brunswicensium Ducis, ob breuitatem regiminis, non puto Can-  
N cel-

N

cel-



Nicolaus  
Provincia-  
lis.

Matthæus  
Episcopus  
Vormati-  
ensis &  
Cardinalis

Ioannes  
Vvein-  
heim.

cellarium aliquem reperiri; certè hætenus mihi incognitus mansit. Qui autem illi, quorundam nefariâ machinatione & parricidio, in Hallsiâ prope Friedlariam oppidum interfecto, successit Rupertus, Rheni Palatinus & Bauariæ Dux, Cancellis Cæsareis præfecit Nicolaum, nescio cuius Ordinis Provincialem. In Chronico enim Spirensi Lehenmani pag. 372, ita reperitur subscriptum Ruperti Diploma confirmatorium, Episcopo & Ecclesiæ Nemetensi an. 1401 concessum: **Nicolaus** Prouinc. Sacræ Theologiæ Professor. Heidelbergæ docuisse videtur; Prædicatorij autem an Franciscani Ordinis fuerit (vterque illuc asceterium habuit) fortè aliàs sciemus. Fuit præterea Ruperti Imp. Cancellarius Matthæus gente Polonus, è Cracouiâ vrbe natales repetens, sacrarum Scripturarum Doctor, & Parisiensis ac Pragensis Academiæ Rector; qui Domini sui fauore & commendatione ad Wormatiensem Cathedram peruenit, cui quinque annis magno Ecclesiæ eius bono præfuit: *Brusch. in Catalogo.* Eundem an. 1408, Gregorius Papa XII Cardinalem creauit, vt alibi dicam.

Eiusdem Ruperti literas subscripsisse reperitur Ioannes Weinheim, (qui eius Secretarius, siue, vt antiquitus vocabant, Protonotarius fuisse videtur,) apud Goldast. tom. 1 *Const. Imp.* pag. 386; & *Metrop. Salisb.* tom. 1, pag. 417.

### SIGISMUNDVS Imp.

Ioan. Ar-  
chi-Episco-  
pus Strigo-  
nienfis.

**P**rinçipe loco sub hoc se sistit Ioannes, primùm Præpositus, postmodum Archi-Episcopus Strigonienfis. Extat apud Goldast. tom. 3 *Const. Imperial.* pag. 424, Sigismundi Cæsaris Diploma, de electione Summi Pontificis, tempore Constantiensis Concilij anno 1415 datum, quod subscripsit præfatus Ioannes tunc temporis Vice-Cancellarius. Idem subsignauit Inuestituram de Regalibus, Othonis de Hoiâ Episcopi Monasteriensis, concessam à Sigismundo Nouiomagi an. 1416, 17. Nouemb. regnorum eius Hungarici tricesimo, Romanorum electionis 7, coronationis 3. Illius Diplomatis eiusmodi subscriptio est: *Ioannes de Strigonio, Præpositus & Vice-Cancellarius Imperialis.* Idem autem an. 1417 adhibitus in consilium cognitionis, super Coloniensis Archi-Episcopi cū Montium Duce controuersiâ, Archi-Episcopus Strigonienfis & Cancellarius vocatur: apud eundem Goldast. tom. 1 *Const. Imp.* pag. 394. an. 1472, vt Bonfinius scribit, Ioan. Archi-Episcopus Strigonienfis obiit, è Sclauonico genere; qui tamen ab hoc diuersus multoque iunior fuisse videtur. Is Successorem habuit Ioan. Alemannum, Regis familiarem postea Salisburg. Archi-Episcopum. Bonfinius *Decad. Histor. Hung.* 4. lib. 3.

Deinde